



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 31. Eugenii Papæ responsum ad Conventus Francofordienses Legatos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

gis exemplo, quam imperio militares copias ducens, strictumque gladium manu tenens, arcem Pavonium haud procul a Brescia facto impetu invasit, atque hostium manibus eripuit. His facinoribus, cum Venetorum Senatores Petri Brunori fidem, & uxoris suæ fortitudinem, atque prudentiam plene probatam haberent, utrumque Chalcidem decernebant, ut Insulam adversus Turcarum molimina propugnarent, quam etiam tam invicto robore defenderunt, ut toto, quo Insulam incoluerant, tempore Turcæ eam aggredi non auderent. Brunorus Chalcide ejusdem nominis urbe extremum clausit diem, summo funeris honore sepultus. Illustris vero Bonna uxor ejus Venetias reditura in itinere Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto in quadam Moreæ urbe rebus humanis erepta est, duabus prolibus, quas ex hoc conjugio susceperat relictis. Sed ad Historiæ Ecclesiasticæ gesta, unde digressi, redeamus.

§. XXXI.

Eugenii Papæ responsio ad Conventus Francofordiensis Legatos.

Eugenius hucusque ad Cæsaris postulata respondere distulit, licet quam maxime Friderici Legati instarent, jamque

que præstitutum Norimbergensis Con-
 ventus tempus immineret, & plurimi, ut
 responsum daret, iterato rogarent, nihil
 tamen ab eo impetrare poterant. Ob
 hanc moram Comitia ad alterum semestre
 protracta fuere, consentientibus quoque
 S. R. I. Electoribus, non tam ut obseque-
 rentur Eugenio, quam Cæsari, qui eo
 tempore Ladislai patruelis sui tutelæ cu-
 ris destinabatur. Tandem post diuturna
 consilia Eugenius Legatis ad se missis re-
 posuit hunc in modum: generalem Syno-
 dum expeti, haud satis mirari possumus,
 cum jamjam Oecumenicum Concilium
 auctoritate Apostolica, omniumque Pa-
 triarcharum Orbis Christiani consensu in-
 stitutum celebretur, quod in dubium vo-
 care nil aliud est, ac fidem Catholicam
 impugnare, necnon divinæ voluntati re-
 sistere. Si vero quorundam menti for-
 te contraria insidet opinio, hos de veri-
 tate rei edoceri, & rejectis insensatis ac
 perfidis Basileensium commentis, ad am-
 plectendam Sedis Apostolicæ doctrinam,
 super quam Christus Dominus petram fi-
 dei fundavit, induci unice in votis habe-
 mus; poterit igitur in hac Synodo, cum ex
 celeberrimis Præsulibus composita foret,
 recte consuli, si quid decernendum resta-
 ret, & dubia aperiri, si qua essent. Ut
 tamen Cæsaris ac Principum voluntati
 morem geramus, quam primum Romam

Sæcul. XV
 A. C. 1442.

Acta Patrice
 art. 135. e20
 Tom. 13.
 Conc. p. 1607.

Sæcul. XV. A.C. 1442. pervenerimus, quo & Synodum in Lateranensi Ecclesia celebrandam transtulimus, maximo, quo poterimus, numero Episcopos convocabimus, ac junctis eorum consiliis tractabimus, an expediat aliud Concilium celebrari, quosve ad illud admittere vel excludere oporteat, simulque de debito ordine agemus, quo perniciosis violentiis hucusque perpetratis obviari possit. Mittemus nihilominus Legatos, qui de iis cum Cæsare atque Principibus conferant, quamquam nihil Ecclesiæ proficuum cum illis agi posse credamus, nisi prius neutralitatem Christianæ fidei haud notam rejiciant, atque ad pristinum Apostolicæ Sedis obsequium redeant, qua sola re pax Ecclesiæ reddi poterit. Id si facturi sunt, concurrentibus quoque, illudque approbantibus aliis Regibus & Principibus, qui in debita reverentia firmi perstiterunt, libenti animo aliud Concilium celebrabimus. Hæc est summa Responsionis Eugenii Papæ, quam tamen plures alii ad annum millesimum quadringentesimum quadagesimum tertium rejiciunt.

§. XXXII.

Privata Basileensium negotia.

*Acta Patric.
to. 13. Cons.
p. 1606.*

Fervente hoc pacis ineundæ tractatu, Basileenses multa negotia, quæ Privato-